

S


S B N



IVRIGIA VIRIVIS DICTV
VALVINE DIC DEVS IST

7 6 7 3

IVLV





A. A.
DE IUSTITIA FIDEI,
DISPUTATIO PUBLICA,

In inelyta Academia Witebergensi instituta:

In qua


SUB PRÆSIDIO

FRIDERICI BALDUINI,
SS. Th. Doct. & Prof. Publ.

Respondebit


Pro DOCTORATU in Theologia consequendo,
M. IOHANNES BEHM REGIO-
montanus Borussus,

Ad d. Octobr. horis ante & pomeridianis.



W I T E B E R G Æ
Typis Cratonianis, per Iohan. Gorman.
Anno 1 6 0 8.





DE JUSTITIA FIDEI.

THESIS I.

Nihil æquè necessarium est homini ad Deum accedere volenti, quam ut in judicio Dei justus compareat: siquidem & recta ratio docet, & Scriptura attestatur, Deum justissimum cum hominibus injustis nihil habere commercij 2. Cor. 6, 14.

II.

Gravissima igitur quæstio est, in qua cardo salutis nostræ vertitur: quænam sit illa justitia, qua homo coram Deo consistere; quam accusationi legis opponere; & in qua tempore tentationum firmiter adquiescere possit?

III.

Hæc quæstio propriè ad cives Ecclesiæ pertinet, qui regulam justitiæ non ignorant, naturæ humanæ horribilem corruptionem agnoscunt, terrorem legis in seriis tentationibus sentiunt, serioque credunt, constitutum esse diem, in quo Deus judicaturus sit orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, Act. 17, 31.

IV.

Unde liquet, quæstionis hujus decisionem non ex lumine naturæ, non ex Ethicis Ethnicorum disputationibus petendam esse, sed solummodò ex Scriptura divinitus inspirata: ratio enim neque morbum satis agnoscit, qui nos coram Deo injustos reddidit, neque Medicum quærit, neque in seipsa naturæ instaurationem invenit.

V.

In Scriptura autem quando ex professo de hoc capite doctrinæ Christianæ agitur, Justitia illa, de qua quærimus, usitatè nominatur *Justitia Fidei, Justitia, quæ est ex Fide*: item, *Justitia Dei per Fidem Rom. 1, 17: 3, 22, Phil. 3, 9.* & cujus regula vocatur *Lex Fidei, Rom. 3, 28.*

VI.

Operæ pretium igitur facturi sumus, si primum omnium de vocabulis

cabulis inquiramus, quid sit **JUSTITIA**, quid **FIDES**: ita enim de præcipitio errorum in hoc doctrinæ capite minus erit periculi; siquidem verissimū est illud magni Theologi pronunciatum; quantum erratur in verbis, tantum de rebus ipsis amitti: sic etiam sponte sua elucescet, quid sit **Justitia Fidei**, quam scriptura nobis tanquā sacram anchoram commendat, cui in iudicio Dei tutò inniti valeamus.

VII.

JUSTITIA. **JUSTITIÆ** vox absolutè posita *καλύπτει* est; cuius significata omnia huc referre non est nostri instituti: Hoc tamen ad rem nostram facit, quod in scriptura ratione subjecti tripliciter distinguitur: Aut enim homini tribuitur, aut Deo, aut Christo.

VIII.

Unaquæq; harum specierum suos habuit in Ecclesia patronos, qui vel justitiam hominum, vel justitiam Dei, vel justitiam Christi existimarunt esse eam, quæ in iudicio Dei consistere potest: una tamen ex his duntaxat est, quæ *Justitia Fidei* appellatur, & id, de quo quæritur, præstare valet.

IX.

Justitia hominis.

In homine quatuor reperiuntur **Justitiæ** species, quæ ipsi subjectivè inhærent. Primam nominare potes, *Justitiam concretam*, quæ est integrorum ante lapsum: secundam *Justitiam naturalem*, quæ est nondum renatorum post lapsum: tertiam *Incoatam*: quæ est renatorum: quartam denique *consummatam*, quæ est beatorum.

X.

I.
Justitia originalis seu concreta.

Concreta justitia est, quam homo in prima creatione accepit, & in statu integritatis aliquo usque retinuit: estq; nihil aliud, quam imago Dei, ad quam homo fuit conditus.

XI.

Ita enim describit Apostolus Paulus novum hominem, in quo imago Dei restituta fuit, quod secundū Deum sit creat9, in justitia, & sanctitate veritatis. *Eph. 4, 24.*

XII.

Sed hæc pulcerrima conformitas cum Deo jam post lapsum est deperdita: perfecta illa notitia rerum spiritualium mutata est in ignorantiam, *1. Cor. 2, 14*, approbatio voluntatis & desiderium rerum divinarum, transijt in earundem inimicitiam *Rom. 8, 7* promptitudo virium humanarū in expediendis rebus bonis non tantum in *ἀδωκίαν* *2. Cor. 3, 5*: verum etiam in maximam rebellionem & pronitatem ad malum *Genes. 8, 21*. quæ, ut *Augustinus* loquitur *lib. 2.*

contra

contra Iulianum : rebellando nititur nos ad reatum trahere : unde nos omnes naturā non sumus filij gratiæ, sed iræ. *Eph. 2.*

XIII.

In negotio justificationis nostræ coram Deo nihil agitur de originali illa justitia, quæ jam omninò amissa est ; & si vel maximè amissa non esset ; nihil tamen omninò hominis quantacunque integritas ad salutem suam faceret, quam jam antè habuit, non ex perfectæ obedientiæ merito, sed ex primo creationis principio. *Sap. 2, 23.*

XIV.

Originalem hominis justitiam excipit alia post lapsum, antequam restaurata fuit natura, quam justitiam carnis seu Naturæ appellare possumus : & est qualiscunq; disciplina externa in non renatis, qua faciunt naturæ ductu adhuc aliqua honesta & legi divinæ mentibus ipsorum inscriptæ consentanea, qualis erat castitas Scipionis, justitia Aristidis, sapientia Socratis, pietas Æneæ, &c.

II.

*Justitia carnis
seu naturalis*

XV.

Etsi enim vires naturæ humanæ post lapsum ita destructæ sunt, ut in rebus spiritualibus nihil omninò ex seipso possint : remanserunt tamen reliquiæ quædam in naturalibus, ut sunt naturales conceptus & notitiæ de Deo, quas D. Paulus veritatem Dei nominat *Rom. 1, 18.* principia naturæ, discrimen honestorum & turpium ; quibus reliquijs qui juxta dictamen rectæ rationis utuntur, honesta & justa quædam possunt facere, etiam absque singulari illuminatione Spiritus sancti.

XVI.

In hujusmodi honestarum actionum & virtutum exercitijs Ethnicis omnem suam beatitudinem posuerunt, unde est illud *Aristotelis lib. 6. Eth. c. 13.* hominem naturā justum gigni, i. e. semen quoddam & inclinationem quandam ad justa & honesta opera habere naturā sibi insitam : hinc etiam sunt illa Philosophorum magnifica de justitia universali præconia, quam virtutem perfectam appellant, & quendam quasi complexum ac aggregationem cæterarum omnium, cujus tamen exemplum ostendere nondum potuerunt, in ullo individuo.

XVII.

Deplorandum autem est, non solum Ethnicos hisce reliquijs integritatis pristinæ tantum tribuisse : verum etiam inter Christianos repertos esse scholasticos in Papatu, qui justitiam coram Deo valentem ejusmodi gentilium operibus adscripserunt.

A 3

Hinc

Hinc enim est non modò vetus illa & jampridem antiquata scholasticorum doctrina: homines ante Mosen ex lege naturæ esse justificatos: sed & ex eodem fonte hodieque fluunt impia pariter ac impudentissima modernorum Monachorum pronunciata, quibus statuunt, Ethnicos etiam extra Christum habuisse auxilium sufficiens ad salutem, ut scribit *Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arbit. cap. 8.* Ethnicos ex generali providentia Dei scivisse, Christum Jesum crucifixum, etsi rationem, quam Deus esset initurus humanæ salutis curandæ, compertam minimè habuerint, ut absq; fronte scripsit *Andradius*: imò eos, qui Christi cognitionem non habuerunt, modò honestè vixissent, salvatos esse, ut Monachum quendam *Franciscanum* in ipso concilio Tridentino publicè pro concione dixisse refert *Schleidanus lib. 23.*

Sed Apostolus *Paulus, Rom. 1, 18. seqq.* ex professo gentilibus gloriam justitiæ adimit, & injustitiæ eos arguit. 1. Quia residuas de Dei essentia & voluntate noticias impietate sua extinguere conantur. 2. Quia Deo non tribuunt gloriam, in operibus etiam rectè factis. 3. Quia pro arbitrio sibi fingunt cultum divinum. 4. Quia pro vero Deo, quem se colere fingunt, multiplicia substituunt idola: 5. Quia denique, licet externa *ἀδικήματα* pro virili evitaverint, internis tamen animi motibus inordinatis, odio, malevolentia, iracundia, similibusq; affectibus, qui coram Deo etiam peccata sunt, se contaminarunt.

Ita *D. Paulus* Monachorum hæresin refellit: *D. Augustinus* eam ad Pelagium autorem remittit, in quo & illam gravissimè solidissimeq; refutavit, non secus ac si ipsi ex professo cum his Monachis negotium fuisset.

Nam ad *Iulianum* scribit *l. 4. c. 3.* se non opinari, Pelagianos ad istam usque impudentiam proficere posse, ut *Fabricijs, Regulis, Fabijs, Scipionibus, Camillis* cæterisq; talibus, sicut infantibus, qui sine baptisate moriuntur, provisuri sint aliquem locum inter damnationem regnumq; cælorum, ubi non sint in miseria, sed in beatitudine sempiterna, qui Deo non placuerunt, cui sine fide placere impossibile est, quam nec in operibus, nec in cordibus habuerunt.

Quod si responsaturi erant: ergo erunt in damnatione sempiterna,

piterna, in quibus erat vera justitia? respondet ipse: ô vocem impudentia majore præcipitem: non erat in eis vera justitia, quia non actibus sed finibus pensantur officia

XXIII.

Alibi ita argumentatur ex mente Apostoli Pauli ex *1. Corinth. 15.* Si per naturam justitia: ergo frustra Christus mortuus est: Si autem non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura justificari & redimi ab ira Dei justissima, h. e. vindicta nullo modo potest, nisi per fidem & Sacramentum sanguinis Christi. Natura quippe hominis primitus inculpata, & sine ullo vitio creata est: natura verò ista hominis, qua unusquisq; ex Adam nascitur, jam medico indiget, quia sana non est. *lib. de nat. & grat. c. 2. & 3.*

XXIV.

Inprimis autem scholasticorum antiquam hæresin sub nomine Pelagij gravissimis verbis refutavit *l. 1. ad Bonifat. Papam cap. 21.* quæ quia sunt memorabilia, integrè adscribere placet.

XXV.

Dicimus, inquit Pelagius, sanctos Veteris Testamenti perfecta hinc justitia ad æternam transisse vitam, id est, studio virtutis ab omnibus recessisse peccatis, quia & illi, quos legimus aliquid peccasse, postea tamen eos emendasse cognovimus. Quantælibet fuisse virtutis antiquos prædices justos, non eos salvos fecit, nisi fides Mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit. Ipso. *Psal. 116.*
rum enim vox est; credidi propter quod locutus sum. Unde ait & *2. Cor. 4.*
Apostolus Paulus: habentes autem eundem Spiritum fidei, secundum quod scriptum est: credidi propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur. Quid est eundem Spiritum, nisi quem justis quoq; illi habuerunt, qui ista dixerunt? Dicit enim Apostolus Petrus; quid vultis jugum imponere gentibus, quod neq; nos portare potuimus, neq; Patres nostri? sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus, nos salvos fieri, quemadmodum & illi; hoc vos non vultis inimici gratiæ Christi, ut eadem gratiâ Jesu Christi salvi facti credantur antiqui, sed distribuitis tempora secundum Pelagium, in cujus libris hic legitur, & ante legem dicitis salvos factos esse per naturam, deinde per legem, postremò per Christum, quasi hominibus duorum superiorum temporum ante legem scilicet, & in lege sanguis Christi non fuerit necessarius evacuan-
tes.

tes, quod dictum est: Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum Christus Jesus.

XXVI.

Justitia Phari-
saica.

Ad hanc naturalem hominis justitiam pertinet hypocritica & Pharisæica, qua vel imprimis gloriabantur Judæi, quæ consistebat partim in qualicumque obsequio legis juxta externam literam, absq; omni legitima motuum cordis compositione ad legem divinam; partim in observatione paternarum traditionum, quæ non nisi corruptelas legis Mosaicæ, & opera quædam supererogationis à Deo non præcepta continebant.

XXVII.

In hoc exercitiorum genere justitiam suam collocabant Pharisæi: sed Christus directè eam ipsis denegat, sanctèq; adfirmat, nisi abundet justitia nostra plusquam Scribarum & Pharisæorum, nos in regnum cælorum ingredi non posse *Matth. 5, 21.*

XXVIII.

Erat enim hypocritica, quæ viribus humanis tribuebat, quod non habebant: erat absq; Christo, sine quo, dicente Hieronymo; Omnis virtus invitio est: erat absq; vera notitia legis, quæ non qualemcunque, sed perfectissimam obedientiam requirit ab eis, qui ex lege salvari cupiunt: erat deniq; regulæ justitiæ divinæ contraria, propter *ἰδελοθεσπία & παραδόσεις* illas non præceptas, quibus Deum frustra coli Salvator adfirmat, *Matth. 15, 9.*

XXIX.

III.
Justitia in-
coacta.

Deficiente igitur hac quoq; justitia, quæ in nondum renatis à quibusdam quæritur, sequitur tertia in homine jam Renato, quæ nihil aliud est, quam fructus regenerationis nostræ, quando homo mortuus peccato, in novitate vitæ ambulare incipit: quo respectu liberati à peccato servi facti sunt justitiæ *Rom. 6, 18.*

XXX.

Etsi enim ex lege non est justitia; lex tamen non omninò sublata est per justitiam aliundè adquisitam, sed est regula vivendi etiã in renatis, qui liberati à peccato, servi facti sunt Deo, fructum habentes justitiæ, sanctificationem, *Rom. 6, 22.*

XXXI.

Neq; enim amplectimur impietatem Simonis Magi & sociorū in primitiva Ecclesia, quos nostris temporibus secuti sunt Anabaptistæ

ptistæ

pristæ & Antino mi, qui salutem hominis definiebant esse liberationem à servitute illa, qua homines ex scripto legis ad certa opera obligantur, nec permittuntur agere, quæ velint, quemadmodum Simonis Magi hæresin descripsit *Theodoretus lib. 1. hæret. fabul.*

XXXII.

Sed Renatus revera esse non potest, qui non studet bonis operibus juxta legem Dei: Filij enim Dei ducuntur Spiritu Dei *Rom. 8.* Spiritus autem Dei ducit suos juxta immutabilem normam mandatorum divinorum, non juxta cujusvis cerebri somnia: juxta illud *Ezech. 20.* In præceptis meis ambulate & facite ea, & talia opera Deo placent, juxta testimonia quamplurimum dictorum Scripturæ *Rom. 12, 3. Col. 3, 20. Heb. 13, 16. 1. Tim. 5, 4. 1. Joh. 3, 22. &c.*

XXXIII.

Hæc est Legalis illa justitia, quæ vulgò *sanctificatio* dicitur, & in scriptura inter fructus & effectus justificationis nostræ refertur, *Rom. 6, 22.* à Pontificijs autem ut ipsissima forma justificationis nostræ commendatur.

XXXIV.

Sed nequaquam hæc est ea justitia, quæ nos coram Deo justos reddit. Est enim 1. fructus justitiæ illius, & effectus jam justificatorum, *Rom. 6, 22. Gal. 5, 2.* Est infirma, languida & imperfecta, unde & justitia incoata appellatur: lex enim infirmatur per carnem. 3. Etsi maximè perfecta esset, tamen jam ante esset debita, ac proinde coram Deo nequaquam meritoria *Luc. 17.*

XXXV.

Quam ob causam etiam sancti in medio cursu bonorum operum agnoscunt, se peccatores esse; nam bono huic adjacet malum illud *invidiosum*, quod undiq; nobis adhæret, bonaq; instituta sæpè præter voluntatem nostram impedit, quod testantur querelæ sanctorum. *Psal. 19. Eccles. 9. Rom. 7, 25.* justitiam quoq; suam, quam utcunq; juxta legem præstitit, opponit Apostolus justitiæ illi, quæ coram Deo valet *Phil. 3, 9.*

XXXVI.

Hanc denique justitiam subsequetur altera in æternitate, quæ vocatur justitia consummata: ubi redibit demum homo perfectissimè ad imaginem Dei pristinamque integritatem in lapsu deperditam, sine ullo metu lapsus, sine ullo periculo imperfectionis: ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus: ubi nulla desidiâ cessabitur, nulla indi-

IV.

Justitia consummata.

B

gentiâ

gentiâ laborabitur, quemadmodum *D. Augustinus* loquitur *lib. 22. de civ. Dei cap. 30.*

XXXVII.

Justitiam hanc non esse eam, de qua jam quærimus, extra controversiam est; sed est potius finis ejus, sicut expressè vocatur *Rom. 6, 22.* & scopus ille, ad quem tendimus, imò præmium justorum, cujus promissiones habet pietas ipsorum *1. Tim. 5.*

XXXIIX.

Et hæ sunt quatuor illæ species Justitiæ, quæ homini subjectivè insunt; quarum nulla est ea justitia, quæ coram Deo nos absolvere, aut justificare potest. *Aut* enim est in homine ante lapsum, ubi absolute nulla opus habebamus: *aut* post lapsum, sed ante statum restitutionis, ubi eramus adhuc filij iræ, qui neq; Deo placere, neque eum placare poteramus: *aut* post restitutionem in integrum, & tunc à peccatis jam eramus absoluti: *aut* deniq; erit in vita æterna, ubi finem fidei justitiæq; nostræ jam tum adepti sumus.

XXXIX.

JUSTITIA
DEI.

Porro Justitia Dei varijs modis accipitur in scriptura; de quibus omnibus hic ex professo non agimus, ut, de veritate promissionum divinarum *Psal. 31, 2.* in justitia tua libera me; de omnipotentia & majestate divina, vel etiam de sapientia ejus, quæ omnia justè ordineq; disponit. *Psal. 19.* annunciant cœli justitiam ejus: de præceptis Domini, *Psal. 19.* justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda.

XI.

Justitia Dei
essentialis.

Sunt aliæ tres significationes, quæ propriè huc pertinent. Primum usurpatur hæc phrasis de Essentiali Dei justitia, quæ est universalis rectitudo in Deo, qua in se est optimus & perfectissimus omnique labis expers: & sic opponitur pravitati & injustitiæ, ut *Psal. 11, 7.* justus Jehovah, justitias diligit, rectum videt facies ejus.

XLI.

Ea vero justitia nos non facit justos in judicio Dei. Nam 1. justitia, qua nos justus sumus, revelatur tantum in Evangelio *Rom. 1, 17.* Essentialis Dei justitia etiam in lege, quæ nihil aliud est, quam norma rectitudinis in Deo: 2. quia justitia illa pravitati opponitur, ut deo justificare non potest, antequam pravitas illa tollatur: ea vero tollitur non illâ justitiâ Dei, sed merito Filij *Esa. 53. Rom. 5.*

Andreas

XLII.

Andreas Osiander essentialem Dei justitiam vocavit ipsum Christum, & hunc secundum divinitatem in nobis habitantem & ad bene operandum impellentem dixit esse nostram justitiam, cujus inhabitantis essentialis justitiæ respectu, omnium hominum peccata sese habeant instar guttulæ aquæ ad magnum mare collatæ.

XLIII.

Quem ejus errorem *D. Lucas Osiander p. m. D. Andreae* filius interpretatur non de justificatione ipsa, sed de Renovatione, hoc est non quasi sensisset, inhabitantem essentialem Dei justitiam opponendam esse coram judicio Dei terroribus conscientia: sed Deum in homine jam reconciliato inhabitantem facere, ut homo re ipsa justus fieret, hoc est, per Spiritum sanctum renovaretur, ut juste vivere inciperet. *cent. 16. hist. Eccl. lib. 3. cap. 1.*

XLIV.

Sed hanc erroris istius mitigationem suo loco relinquimus: aliàs orthodoxa Ecclesiarum nostrarum doctrina est, Christum non ratione suæ essentia, non ratione alterutrius naturæ, sed ratione officij ac meriti sui, quo nobis tota persona Christi agendo & patiendo justitiam adquisivit, justificationis nostræ negotium ingredi *Rom. 3, 4, 5. Gal. 3. Ephes. 2. Phil. 3.*

XLV.

Viderint autem Pontificij nonnulli, quam procul absint ab Osiandrisimo, ut quando *Cochleus* scribit, dilectionem, qua justificamur, esse ipsum Deum, & *Costerus in Enchir. cap. 6. p. 264.* donum justitiæ nobis infusæ esse ipsum Spiritum sanctum, quod fortassè mutuatus est à *Lombardo*, qui caritatem, qua diligimus Deum & proximum, vocat Spiritum sanctum *lib. 1. distinct. 17. cap. 2.*

XLVI.

Ex his enim argumentor: Donum justitiæ nobis infusæ est forma justificationis nostræ, seu nostra coram Deo valens justitia, dicentibus omnibus Pontificijs. Donum justitiæ nobis infusæ est Spiritus sanctus, dicente *Costero*. E. Spiritus sanctus est forma justificationis, seu nostra coram Deo consistens justitia. Viderit igitur *Bellarminus*, quomodo sibi conveniat cum socio, antequam refutet *Osiandrum lib. 2. de justif. cap. 6.*

*Iustitia Dei
distributiva.*

Deinde iustitia Dei usurpatur de distributiva iustitia legis divinae, qua res omnes hominum & angelorum ita gubernat, ut praemia dispenfer pijs, impijs poenas, quae ab Apostolo Paulo vocatur, *δικαιοσύνη* Rom. 1, 32. & *δικαίωμα* *ἔργου* Rom. 8, 4. & misericordiae Dei *ἰσχυρὰ ἀλάσ* opponitur: ita usurpatur *Iac. 1, 20*: ira viri iustitiam Dei non operatur.

XLIIX.

De hac legali iustitia iustitiam fidei interpretantur Pontificij, quod nimirum, jure & ex debito vitam aeternam cum omnibus bonis tribuat pijs, ut meritum: unde tota ipsorum doctrina de meritis operum suam habet originem. Bellarminus hanc legalem iustitiam vocat iustitiam Dei, non respectu Dei, sed hominis, quem hoc à Deo habere scribit, quod rectè ordinatur erga Deum & proximum, & hanc vocat solam simpliciter & absolute iustitiam *lib. 1. de justific. cap. 1.*

XLIX.

Verum interpretatio haec locum habere non potest. Nam 1. iustitia Dei revelatur in Evangelio absq; lege *Phil. 3, 9*. iustitia legalis seu distributiva in lege. 2. Eodem in loco D. Apostolus opponit iustitiam illam legis seu operum, quae vocat propriam; & iustitiam, quae ex Deo est. 3. In distributiva iustitia oportet analogiam esse aliquam inter praemium & meritum, inter dantem & accipientem. Hic vero nulla prorsus est analogia vel comparatio inter virtutes hominum & Dei iustitiam, inter vitam aeternam & meritum temporaneum. Igitur non ex distributiva Dei iustitia proficiscuntur Dei beneficia.

L.

*Iustitia Dei
Evangelica.*

Deniq; usurpatur iustitia Dei de bonitate & misericordia Dei, qua credentes in Christum absolvit à peccatis, in gratiam acceptat, ab hostibus liberat, & in periculis defendit, quae vulgò dicitur iustitia Dei Evangelica, quia in Evangelio revelatur *Rom. 1, 17* item iustitia imputata *Rom. 3, Phil. 3*. alibi vocatur *δικαιοσύνη* *ζωῆς*, & opponitur condemnationi, *Rom. 5, 18*.

LI.

Hoc modo usurpatur, ubicunq; in scriptura agitur de justificatione, & mentio fit iustitiae Dei, ut in Psalmis, *Psal. 51, 16*. libera me à sanguinibus Deus, Deus salutis meae, & praedicabit lingua mea iustitiam tuam; ubi iustitia bonitatem significat & misericordiam Dei, qua miserum in gratiam recipit. *Psal. 71, 2*. In iustitia tua libera me.

me

me Domine. Inprimis autem in *Psal. 40, 10.* justitia ἐξυμνηκῶς exponitur per misericordiam : annunciaui justitiam tuam (inquit David in persona Christi) in cœtu multo, non abscondi justitiam tuam in medio cordis mei: veritatem & salutem tuam dixi, non celavi misericordiam & veritatem tuam in cœtu multo.

LII.

Memorable etiam est, quod David orat in *Psal. 143, 1.* Exaudi me Deus, יְהוָה צְדָקָתְךָ in justitia seu propter justitiam tuam : & tamen addit v. 2. non intres in iudicium cum seruo tuo. Petit exaudiri propter justitiam Dei, & tamen deprecatur iudicium Dei : Provocat igitur non ad rigorem justitiæ divinæ, quæ ex lege est, & in iudicio propriè locum habet, ubi pro ratione delicti iudicatur : sed ad favorem gratiæ misericordiæq; Dei, quæ mitigat iudicium.

LIII.

Hinc fit, quod interpretes frequenter ista vocabula justitiæ, & misericordiæ Dei in articulo justificationis invicem commutant, ut cum *Gen. 19, 19.* Lot diceret ad Angelum in Hebræo : magnificasti misericordiam tuam, reddiderunt septuaginta δικαιολύβω, justitiam : vicissim *Psal. 103, v. 6,* cum David in Hebræo dixisset, facit justitias Dominus, verterunt LXX. ἐλεημοσύνας misericordias, similia loca conferantur in *Psal. 103, 6. Gen. 20, 13 : 21, 23 : 32, 10.* Quam sanè licentiam sapientissimi isti viri sibi non sumfissent, si non intellexissent, justitiam Dei interdum notare ejus misericordiam, qua benefacit credentibus.

LIV.

Etsi vero ista duo in Deo sunt subordinata; tamen justitia interdum ideo pro misericordia ponitur : partim quia justitiæ Dei legali à Christo satisfactum est, & sic, quod ex parte Christi est justitia, ex nostra parte fit misericordia : quia Christus promeruit; nos immerentes in labores ejus ingredimur, meritoq; ejus fruimur: partim, quia Deus promisit credentibus in Christum vitam dare æternam, quæ ut detur, ratione promissi justum est, licet in se sit donum gratuitum *Rom. 6.*

LV.

Qua ratione intelligendum est illud, quod scribit Apostolus in *2. Thess. 1. 6.* justum esse apud Deum, retribuere tribulationem tribulantibus, & tribulatis requiem : illud enim justum est æterna Dei justitia legali : hoc justitia Evangelicâ, quæ misericordi in nos affectu tincta est & temperata, præsertim, cum ipsa requies post tribulationem sit promissa *Pf. 50, & 91.*

IUSTITIA CHRISTI. Supereft tertio loco *Iustitia Christi*, quæ itidem triplex esse potest: una *Naturalis*: altera *Actualis*: tertia *Imputata*: quæ tamen propriè loquendo non tres iustitiæ species, sed respectus sunt, ratione originis & finis distincti.

LVII.

*Naturalis
Christi iustitia.*

Naturalis in Christo iustitia est, qua ipse non modò ut verus Deus, ipsa est iustitia, non habitualiter, non accidentaliter, sed essentialiter, quo respectu Deus justus & salvans appellatur *Esa. 45, 21.* verum etiam juxta carnem adsumtam *ἀναμαρτήτος* est, absq; ulla iniustitiæ labe conceptus aut natus: quo respectu justus Dei servus vocatur *Esa. 42, & 53.*

LIX.

Eâ iustitiâ indigebat ipse ad officium Mediatoris, Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus *Heb. 7, 26.* neque poterat Deus iratus nobis reconciliari ab eo, qui ipsemet reconciliatione, ob naturalem corruptionem, indignisset.

LIX.

*Actualis
Christi iustitia.*

Actualis Christi iustitia est, qua ipse, licet Dominus legis, totum se subjecit legi, partim observando legem in minimis maximis, ut adimpleretur omnis Dei iustitia, *Matth. 3, 15.* unde verè de ipso scriptum est, iniquitatem ipsum non fecisse, nec dolum in ore ejus inventum esse *Esa. 53, 9*: partim recipiendo in se maledictum legis, factus patri obediens usq; ad mortem crucis *Phil. 2, 8.*

LX.

Eâ iustitiâ non indigebat ipse, qui naturâ suâ erat justissimus: indignum itaq; est homine Christiano, dicere aut sentire, Christum sibi quoq; aliquid promeruisse, quod ex *Lombardo lib. 3. sent. dist. 18.* docuerunt *Bellarmin lib. 5. de Christo cap. 9. Buseus th. 42. seqq. cont. Gerlach. ex Calvinianis Ioh. Piscator. & socij.* Parum abest hic error ab Ebionismo: nam de Ebione refertur, quod dixerit, ipsum Christum propter morum profectum, tanquam alium hominem esse justificatum: vide *Eusebium lib. 3. hist. Eccl. cap. 27.*

LXI.

*Imputata
Christi iustitia.*

Imputata Christi iustitia est Christi actio & passio, in tempore præstita, & nobis applicata. Nam Christi in carnem adventus, incarnatio, passio, onors, resurrectio & universum meritum, Nostrum est,

est,

est, pro nobis præstitum, & tanquam *λύτρον ἰσὲρρόπον* æterno patri pro peccatis nostris persolutum. Unde vocatur Jehovah justitia nostra *Jerem. 23. & 33.* & Apostolus Paulus testatur, ipsum nobis à Deo factum esse justitiam. *1. Cor. 1.*

LXII.

Cum ergo hæc Christi justitia propriè nostra sit, per certum aliquod medium, ut nostra fiat, necesse est: illud vero ex parte Dei est, Verbum & Sacramenta, quæ sunt organa illa *ἡμετέρας* beneficiorum Dei, illud respectu omnium, hæc respectu singulorum in specie: ex parte nostra autem *Fides* est, undè vulgò justitia Fidei appellatur: de quo medio nunc dicendum erit.

LXIII.

Est autem etiam Fidei vocabulum *πολύτημον*, de cujus significationibus omnibus agere non est hujus instituti, sed tantum de Fide justificante: de qua, quæ inter nos & Pontificios sunt controversa, paucis attingemus.

FIDES.

LXIV.

Et primùm quidem de Natura ac Essentia fidei justificantis quæritur, quæ tria complectitur; Notitiam, ad sensum, & fiduciam, illa complectitur historiam doctrinæ Evangelicæ; iste quæ de Christo narratur, vera esse credit, & in ijs acquiescit: hæc ea, quæ fides in genere ut vera agnoscit, sibi quoque applicat: priora duo ad intellectum, postremum ad voluntatem pertinet.

De natura
Fidei justificantis.

LXV.

Fidem esse notitiam rerum credendarum non nisi vesanus dubitaverit: nam Evangelium, unde est fides, est utiq; cognitio Christi, sapientia Dei, & notitia mysteriorum Dei: Hinc fide intelligere dicimur *Heb. 11, 3.* hinc fides & intellectus arctissimè conjunguntur *Esa. 7, 9.* nisi credideritis, non intelligetis: hinc sancti dicunt, se NOSSE divina beneficia *Iob 19, 15. Rom. 8, 28*: hinc fidei tribuitur lux, intelligentia, sapientia: incredulitati autem ignorantia, tenebræ, cæcitas, stultitia, *Act. 17, 23 & 30. Esa. 9, 1. Matth. 4, 15. Ioh. 5, 10.* hinc deniq; Christus ipse vitam æternam in cognitione Dei consistere ait *Ioh. 17, 3.*

Fides est notitia.

LXVI.

Qua quidem operosâ probatione opus non esset, nisi obstarret absurda petulantia Roberti Bellarmini, qui, ut homines suos

remit.

remittere possit ad fidem implicatam Ecclesiæ Romanensis, falso dictæ Catholicæ, impudenter scriptitat, fidem non esse noticiam, sed assensum, imò, fidem melius per ignorantiam, quam per noticiam definiri *lib. 1. de justif. cap. 7.*

LXVII.

Ea vero opinione suâ & sibi ipsi & socijs suis contradicit: Ipse enim *cap. 5.* fatetur: actum Fidei in Epistola *Heb. 11, 3.* per vocem intelligendi describi; item, fidem repræsentare res sperandas; & tamen *cap. 7.* fidem melius, ait, per ignorantiam, quam per noticiam definiri. Intelligentia vero & repræsentatio opponuntur Ignorantiæ: utrumq; oppositorum satis absurdè fidei tribuit Bellarminus.

LXVIII.

Socijs contradicit: nam *Costerus in Enchir. cap. 4.* fidem nominat speciem quandam cognitionis: *Pererius lib 5. in Gen. quest. 4.* tribuit fidei lumen & contemplationem Dei, quam confert cum contemplatione Dei in patria ex *Thoma 2. 2. quest. 5. art. 1. &c.*

LXIX.

Omnia vero quæ contra hanc veritatem dicto capite affert *Bellarminus* ex Scripturâ & Patribus, vera sunt de intellectu naturali, & ratione nondum à Spiritu sancto illuminatâ: unde fides noticiam suam non petit: & hoc sensu concedimus, redigendum esse intellectum sub obsequium Christi; fidem esse, credere quod non vides: fidem non ex intellectu, sed intellectum ex fide esse.

LXX.

Fides autem illuminata à Spiritu sancto in verbo videt & intelligit mysteria, quæ intellectui humano erant abscondita: nam quæ naturâ sunt occulta, & ignorantia tenebris obruta, clara fiunt fidei & lucida, propter lucem illam divinam, quæ mentes illustrat *Ioban. 1, 9. Psal. 36, 10:* & hinc est, quod scriptura fidei tribuit *νόστον Heb. 11, 3.*

LXXI.

Non ergo necesse est, remittere homines ad fuliginosum illud Satanae commentum de fide implicita, quasi sufficiat ad salutem credere, quæ Romana credit Ecclesia. Nam si justus sua, non aliena fide vivit, oportet etiam ipsum habere rerum credendarum noticiam: quam cum ex intellectu suo naturali habere non possit, ex verbo petat necesse est: hoc legat, audiat, meditetur, & revelationem mysteriorum divinorum precibus à Deo impetret, exemplo Davi-
dis

dis in *Psal. 119.* nam præceptum Domini lucidum est, illuminans oculos *Psal. 19, 9.*

LXXII.

De Adsensu nullum est dubium, quin ad Fidem requiratur: nam qui verbo Dei non adsentitur, infidelis est, & Deum mendacem facit. Unde notitia & adsensus plerumque conjunguntur, cum de partibus fidei essentialibus quæritur, unum pro altero ponitur: utrumque etiam ad intellectum refertur.

Fides & adsensus.

LXXIII.

Quia verò in impijs & diabolicis etiam notitia & assensus rerum divinarum, quæ in verbo continentur, esse possunt, necessaria est tertia pars Fidei, FIDUCIA, quæ est firma cordis persuasio, qua singuli fideles non tantum generale DEI verbum apprehendunt & verum esse credunt, sed & promissiones gratiæ sibi in specie applicant.

Fides est fiducia.

LXXIV.

Hanc partem fidei contemnunt, & ex foro justificationis nostræ præter meritum eliminant Papicolæ, (a) merumque figmentum hæreticorum nominant, quod Scripturæ contrarium sit: nos verò jure meritoque primariam potissimamque fidei justificantis partem esse judicamus.

(a) *Peyer. disp. 9. in cap. 1. Rom. th. 50.*

LXXV.

Fundamentum hujus assertionis ponimus in loco classico, *Roman. 4, 20*, ubi de patre credentium Abrahamo scriptum est: In re promissione Dei non hæsitavit diffidentia (*ἀπιστία*) sed *πληροφορηθείς* confortatus fide dedit gloriam Deo &c. Ubi *πληροφορία* opponitur infideli hæsitationi. Sicut igitur hæsitatio illa ad *ἀπιστίαν*, ita *πληροφορία* seu fiducia ad *πίστιν* pertinet: contrariorum enim eadem est ratio.

LXXVI.

Hinc est, quod Epistol: ad *Hebr. cap. 11.* fidem definit *ὑπόστασις* rerum sperandarum, & *ἔλεγχος* non apparentium: firmiter enim se opponit omnibus periculis internis & externis: & Deo de salute promissa certò confidit, etiam in rebus desperatis: illud est *ὑποστήσεως*, hoc *ἐλέγχου*.

LXXVII.

Et si autem *ὑπόστασις* quatenus simpliciter repræsentationem notat,

C

tat,

rat, & ἔλεγχος quatenus est demonstratio & evictio quædam, non ad voluntatem sed intellectum pertinet: tamen addita notatio ob-
jectorum, ea ad fiduciam, quæ voluntatis est, restringit.

LXXIIX.

Appellatur enim ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων, quæ non nisi certissimæ
spei fiduciaq; descriptio est, quando ea, quæ sperantur, tam firmiter
apprehenduntur, ac si præsentissima habeantur, ita ut irruentibus
dubitationibus animus non cedat sed loco consistat, impetum exci-
piat ac sustineat: hoc enim propriè est ὑπιστάω. Quam ob causam
LXX. interpretes interdum reddiderunt ὑπόστασιν, quod in Hebræo
est spes & expectatio, Psal. 39, 8. Ezech. 19, 5. Mich. 5, 7. &c.

LXXIX.

Ita D. Paulus nominat ὑπόστασιν καυχήσεως, substantiam gloriatio-
nis suæ, hoc est imperterritam animi confidentiam, quæ nemini
cedit, ubi & mens & voluntas certò persuasa est, se habere justam
gloriandi causam 2. Cor. 9, 4: 11, 17. & in Epist. ad Hebr. 3, quod v. 6.
vocatur παρρησία fiducia: hoc postea vers. 14. dicitur ὑπόστασις. Dubium
ergò non est, sicut παρρησία voluntatis est: ita & ὑπόστασιν eò referen-
dam esse.

LXXX.

Appellatur etiam ἔλεγχος τῶν μὴ βλεπομένων: ubi notatur non tan-
tum mentis, sed & voluntatis evictio, ut apprehendat etiam ea,
quæ non videt, eaq; sibi applicet in præsentia: quasi dicat Apосто-
stolus: Fides neque ratione nititur, neque sensibus, sed promissione
Dei de futuris etiam, & ab omni sensu remotis, quam firmiter am-
plectitur, sibiq; promissiones illas dictas putat.

LXXXI.

Nam hæc firmissima apprehensio gratiæ in promissionibus
contentæ, facit nos jam in præsentia filios Dei, ut Johannes in 1. Ep.
3. loquitur, & hæredes earum rerum quas per spem adhuc expecta-
mus; quod nisi fieret hac in vîta, nihil esset in altera, quod sperare
vel expectare possemus. Unde liquet, ὑπόστασιν & ἔλεγχον hoc in loco
non esse nudam notitiam, sed rerum absentium apprehensionem fir-
mamque voluntatis persuasionem, ut applicentur à corde fideli non
secus, ac si præsentia essent.

Eandem.

LXXXII.

Eandem fidei fiduciam scriptura alibi passim ubique docet, quando promiscue usurpat fidere & credere, fidem & fiduciam. *Psal. 2, vers. ult.*, *Psal. 34, 9.* *Marc. 16, 16.* *Psal. 112, 7: 28, 7.* *Proverb. 3, 5.* item *Psal. 31, v. 1.* In Domino confido, non confundar in æternum, quod Apostolus per credere exponit, *Rom. 10, v. 11*: qui credit, non confundetur: item quando credere ἐξουθενῶσιν exponitur per confidere, ut *Psal. 18, 12.* non crediderunt in Deum nec confisi sunt in salutem ejus, similia vide *Mich. 7, vers. 5.* *Iob. 39, vers. 14.* Item quando credere jubemur IN Deum, quod non est solius notitiæ, ea enim credit Deo; sed plerunq; est fiduciæ, quæ fertur in Deum, apprehendit & recipit Deum cum suis promissionibus: ut *Iohan. 1, 12.* quot quot acceperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, qui credunt in nomen ejus.

LXXXIII.

Idem ostendere possumus hac ratione, quod scriptura τὸ credere opponit τῷ Metuere; fidem Metui seu timori, ut *Matth. 5, v. 36.* Ne timeas, inquit Christus, tantummodo crede, & *Luc. 8, 50.* ne timeas, crede tantum & servabitur filia tua. Metus autem & timor non ad intellectum sed voluntatem pertinent; ergo & fides; oppositio enim in eodem subiecto fieri debet: adde quod in posteriori exemplo effectus fidei subjicitur, salus filia, quæ sanè non nudæ notitiæ Christi assignari potest: eam enim & dæmones habent *Iac. 2.* sed fiduciæ seu fideli apprehensioni Christi necessariò adscribitur.

LXXXIV.

Cum ergo constet ex scriptura, fidem includere firmam animi fiduciam, meritò hinc excluditur Dubitatio Pontificia de remissione peccatorum & justitia nostra, quam ipsi quidem mirè extollunt, & titulo humilitatis commendant; nos verò ut figmentum Satanæ & horribilem conscientiarum carnificinam rejicendam esse arbitramur.

Dubitatio
Pontificia ex-
cluditur à
Fide.

LXXXV.

Pugnat enim cum fine promissionum divinarum, quæ firmas faciunt conscientias credentium. *Roman. cap. 4, vers. 16.* pugnat cum fide justificante, cujus est obfirmare, quod DEUS verax sit, *Iohan. cap. 3, vers. 33* pugnat cum officio Spiritus sancti, qui

qui est arrha promissionum obfirmans in cordibus nostris adoptionem filiorum Dei, *Rom. 8. Eph. 1.* pugnat cum veritate Dei: nam qui non credit, Deum mendacem facit *1. Iohan. 5, 10.* est signum reprobationis: nam qui cognoscere possunt, quod Christus in eis sit, inter reprobos referuntur *2. Cor. 13, 5.*

LXXXVI.

Concludimus itaque Fidem justificantem partim in intellectu esse, ut notitiam & adsensum; partim in voluntate, ut certam fiduciam: nihil morati clamores Pontificiorum, qui hanc doctrinam monstrum & chimæram vocitare solent, quasi impossibile sit, virtutem unam in duabus esse potentijs genere distinctis.

LXXXVII.

Hac enim ratione monstra & meræ essent Chimære, quæ Pontificij ipsi docent de Imagine Dei, de Libero arbitrio, de spe, de sanctificatione, & Regeneratione hominis. Nam imago Dei numero una, est partim in intellectu, lux nimirum sapientiæ in mente; partim in voluntate, rectitudo videlicet & conformitas cum Lege Dei. In libero arbitrio, notitia boni & mali ad intellectum pertinet: libertas eligendi ad voluntatem. Spes definitur expectatio certa futuri boni: certitudo ad intellectum, expectatio ad voluntatem referenda est: sic & sanctificatio & Regeneratio hominis numero una est, & tamen non tantum in animo, verum etiam in corpore hominis reperitur, unde & corpora nostra vocantur templa Spiritus Sancti *1. Corinth. 6. 2. Corinth. 6.*

LXXXVIII.

Valeat igitur isthæc propositio, virtus una numero non potest esse in diversis potentijs, in Philosophicis virtutibus: in Theologico foro rem aliter se habere, allata testantur exempla.

LXXXIX.

Subiectum fidei justificantis. Quanquam si de subiecto Fidei dextrè loqui volumus, dicendum est, unum tantum esse Fidei justificantis subiectum, videlicet Animum hominis; quod subiectum scriptura passim cor appellare solet: *Psal. 119. Act. 8, 37. Psal. 28, 7. Prov. 3, 5.* Sed juxta distinctas sui partes in distinctis Animi potentijs esse dicitur, juxta notitiam & adsensum in intellectu, juxta fiduciam in voluntate.

Unde

XC.

Unde fit nonnunquam in scriptura, ut fides una tantum sui parte nominetur, & tamen tota intelligenda sit. Exempli gratiâ. Quando *Esa. 53.* scribitur: servus meus justus scientia sui justificabit multos, per scientiam seu notitiam Christi fides justificans exprimitur, quemadmodum *Psal. 2.* per confidentiam; quia utraque pars fidei simul sumpta unum habet subjectum, Animum hominis, unum etiam objectum, videlicet Christum, de quo objecto Fidei nunc porro dicendum erit.

XC I.

Atq; hic res erit expedita, si juxta distinctas Fidei partes ipsam Fidem distinctè considerabimus. Nam Fides quatenus est notitia & assensus, objecti loco habet omnia in sacris literis comprehensa, *Objectum Fidei.* historica & dogmatica, omnia enim sanctè credenda sunt: quod generale Fidei objectum & verbum veritatis appellatur: quatenus autem est fiducia, fidesque justificans, objectum habet specialius, nimirum misericordiam Dei Patris in Christo promissam, quod vocatur verbum promissionis atque gratiæ.

XC II.

Nam fides justificans adfert pacem & consolationem conscientiae *Rom. 5, 1.* jam vero nulla solida consolatio adspirare potest afflictæ conscientiae ex generalibus fidei objectis, si maximè sciam & credam, Deum condidisse mundum ex nihilo, Deum promulgasse legem in monte Sina, legem arguere peccata, & similia, quæ in sacro codice continentur: sed, si firmiter credo, Deum propter Christum me recepisse in gratiam, condonasse peccata, & ex filio iræ filium fecisse gratiæ, in hoc demum solatio conscientia suaviter acquiescit.

XC III.

Ubi tamen duo notanda sunt. i. Fidem justificantem in hoc quidem solo objecto misericordiae Dei acquiescere, quatenus hominem justificat, præsupponit tamen cætera quoque generalia: quia fides assentitur omni Dei verbo, licet ille generalis assensus non justificet. Ideo qui aliquam fidei Christianæ, aut verbi divini particulam negat aut impugnat, de fide justificante gloriari non potest.

Hine

XCIV.

Hinc est, quod credentibus in scriptura etiam alia adsignantur objecta, circa quæ fides eorum sua quadam certa ratione occupata est, quemadmodum prolixus ille catalogus fidelium *Heb. 11.* testatur. Sed quatenus circa ista versatur objecta, eatenus fides non justificat, sed in illis rebus exercetur: opera enim illa sanctorum, quibus vel patientiam, vel constantiam, vel adsentum rerum divinarum comprobant, de fide justificante testantur, & ut exercitia ejus dicto loco commendantur.

XCIV.

Deinde notandum est, cum de speciali objecto fidei justificantis loquimur, perinde esse, sive dicas, Dei misericordiam, dilectionem & gratiam, sive Christi meritum, sive remissionem peccatorum, sive promissionem Evangelij, sive vitam æternam: hæc enim omnia cohærent, unum ex altero dependet, & ad idem referuntur: ideò fides justificans apprehendendo unum cætera simul omnia complectitur.

XCVI.

Forma Fidei
justificantis.

Ex his, quæ de Fidei partibus & objecto diximus, facile apparet, quæ sit vera forma fidei justificantis, nimirum fidelis receptio & applicatio specialis illius objecti, gratiæ misericordiæque Dei in Christo promissæ atque præstitæ, juxta illud *Iohan. cap. 1, v. 12. quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui credunt in nomen ejus.*

XCVII.

In hoc enim dicto posteriora verba, *qui credunt in eum*, expli- cant priora, *quotquot receperunt eum*: quod ipsum *Bellarmin.* agnoscit *lib. 2. de grat. & lib. arbit. cap. 3.* ubi hæc verba, *qui credunt in nomen ejus*, similiter exponit, ut *ἐξουσιαστικὰ* præcedentium: idem facit *lib. 1. de justif. cap. 15.* ubi scribit, CHRISTUM credendo recipi.

XCIIIX.

Imò est hæc perpetua Spiritus S. vox, recipere Christum & ejus beneficia, quod aliàs dicitur, credere in Christum. Ita per Christum accipimus reconciliationem *Rom. 5, 11.* abundantiam gratiæ, *vers. 17.* & promissionem Spiritus *Gal. 3, 14.* misericordiam *Heb. 4, 16.* pro- missionem æternæ hæreditatis *Heb. 9, 15.*

Requi-

Requirit hoc ipsum natura correlatorum. Nam Spiritus S. Dei beneficia, misericordiam Patris, & meritum Christi offert in promissionibus Evangelicis; harum correlatum est fides, ideo nullum aliud instrumentum est, quo ea, quæ promittuntur, apprehendi possint, quam fides: Verbum enim absq; fide nihil prodest auditoribus. *Heb. 4, 2.*

C.

Hinc scriptura expressè testatur, nos per fidem fieri filios Dei: nam Spiritum S. accipimus per fidem *Gal. 3, 14.* per Spiritum S. acclamamus Abba Pater *Rom. 8, 15, 16.* Sic per fidem etiam sumus in Christo *Gal. 3, 26. Eph. 3, 17.* qui autem in Christo sunt, filij Dei sunt, *Eph. 1, 5.* Unde omnium clarissimè scribit Apostolus Paulus, nos per fidem esse filios Dei in Christo Jesu *Gal. 3, 26.*

CI.

Falsum igitur est *Bellarmini* affirmatum *lib. 1. de justif. cap. 13,* nos per fidem *non* esse filios Dei, sed fieri posse, si nimirum pergamus ulterius, ita ut & sperare & diligere incipiamus. Nam dilectio nostra non est causa *victorias* nostræ, sed effectum, quod de causa sua testatur tanquam infallibile signum, quemadmodum *D. Iohannes* eade re loquitur. *1. Ioh. 3, 25. & cap. 4, 7. seqq.*

CII.

Si ergò receptio Christi vera fidei forma est, absurdum erit dogma Papisticum, quo inter fidem formatam & informem distinguunt: hanc vocant nudum adsensum: illam, fidem cum caritate conjunctam, ita ut caritas sit forma fidei, ut videre licet apud *Bell. lib. 1. de grat. & lib. arbit. c. 6. & lib. 2. de justif. c. 4.*

CIII.

Quod absurdum dogma refutatur inprimis triplici differentia fidei & caritatis. Sunt enim fides & caritas. 1. formis suis distincta: ergo quælibet suam habebit formam. 2. Sunt subjectis distincta: Fides virtus intellectus est, dicentibus Pontificijs, caritas voluntatis; ergo una alteram informare non potest, ex hypothese *Bellarminiana lib. 1. de justif. cap. 7.* ubi scribit: unam virtutem non posse esse in potentijs diversis, genere distinctis. 3. Sunt denique distincta, ut causa & effectus: absurdum autem est, effectum esse formam suæ causæ, hoc est, effectum dare esse suæ causæ, vel esse causam suæ causæ: forma enim dat esse rei,

Hæc

CIV.

Hæc omnia, quæ hucusq; de Justitia & Fide seorsim disputata sunt, faciunt ad enodationem quæstionis ab initio propositæ, quæ sit illa justitia, quæ coram Deo nos justificat? Respondemus enim esse *De justitia Fidei doctrinam Papisticam. tramur hominem justificari per fidem sine operibus legis.* juxta classicum illud Apostoli Pauli Rom. 3, 28. *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis.*

CV.

Pontificij Justitiam fidei intelligunt de justitia infusa, quam vocant rectitudinem internam, qua homo rectè ordinatur erga Deum & proximum, ut *Bellarminus loquitur lib. 1. de justis. cap. 1.* eamq; duplicem constituunt, unam habituales, alteram actuales: habituales tribuunt justificationi primæ, quam vocant, quando ex impio fit justus: actuales justificationi secundæ, qua ex justo fit justior. *Bellarmin. lib. 4. de justis. cap. 18.*

CVI.

Et hanc justitiam dicunt vocari justitiam Fidei, ideò quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, quemamodum *concil. Trident. loquitur sess. 6. cap. 8.* vel ut clarius exponit *Costerus in Enchir. cap. 6. pag. 270.* quia ad eam adducimur, non naturali illa cognitione, vel scientia legis Judaicæ, sed fide Christi, quæ nobis & Christum proponit, qui hanc justitiam nobis suâ passione est promeritus, & ostendit modum, quo ad eam Deo duce pervenire valeamus. Justitiam Dei etiam vocari scribunt, quia viribus humanis non comparatur, sed sola Dei misericordia INSTILLATUR. *Cost. l. d.*

CVII.

Ita Philosophantur Pontificij de Justitia nostra, cui ancora salutis nostræ concedenda est, ut ea operibus & virtutibus hominum infusis, seu ut *Costerum imitemur, instillatis adscribant, quæ scriptura in solidum gratiæ ac misericordiæ Dei, & fidei ut instrumentali causæ gratiam Dei apprehendenti tribuit.*

CIX.

Quæ quidem omnia facile refutantur, si attendimus partim ea, quæ supra de Justitia seorsim attulimus; partim ea scripturæ loca, in quibus justitia legis & fidei, item fides & virtutes hominum in negotio salutis nostræ directè opponuntur *Rom. 3, 20, 21. Rom. 11, 6. Phil. 3, 9. Ephes. 2, 8. &c.*

Nobis

CIX.

Nobis non ita pueriliter de Justificatione nostra sentire licet, ac si esset Physica quædam qualitatium in nobis alteratio seu instillatio ex dono Dei gratuito profecta, quemadmodum ex mera sua gratia absque viribus humanis solem suum jam oriri jam occidere sinit super bonos & malos, ejusque vel aditu vel abitu, jam calefacit, jam frigefacit, jam has jam illas qualitates creaturis suis instillat.

CX.

Sed totus hic actus judicialis est, ubi homo à lege accusatus provocat à justitiæ divinæ rigore ad misericordiam Dei propter intercessionem filij Mediatoris, sub cujus umbraculo peccator tutò latet adversus accusationem legis & propriæ conscientiæ: quo in negotio justificatio opponitur condemnationi, & significat non justum facere, **gerecht machen**, sed justum pronunciare seu absolvere, **rechtfertigen**.

CXI.

Quam ob causam scriptura in describendâ nostrâ coram Deo justitiâ meris utitur vocabulis forensibus, qualia sunt, non venire in judicium *Ioh. 3.* non condemnari *Rom. 8, 1.* justificatum seu justum pronunciatum descendere in domum *Luc. 18.* ita fit mentio advocati *1. Ioh. 3.* intercessoris *Rom. 8* Chirographi *Col. 2, 14.* & *Rom. 3, 9, 19, 24.* totus processus justificationis & salutis nostræ forensibus describitur phrasibus & vocabulis.

CXII.

Unde liquet, quod in hoc negotio non ita tantum combinentur Justitia & Fides, quasi fides initium & radix sit justitiæ, quæ Christum proponat, & modum ad eum perveniendi, ostendat: hoc enim proprium est doctrinæ Evangelicæ, non fidei justificantis: sed potius conveniunt, ut donum apprehensum, & instrumentum apprehendens: quia justitia merito Christi parta & per fidem apprehensa nostra fit, nosque Deo gratos & acceptos reddit.

CXIII.

Est ergò Justitia fidei, ut Formula concordæ describit: Remissio peccatorum seu reconciliatio cum Deo, & adoptio in Filios Dei, propter solam Christi obedientiam, quæ per solam fidem ex mera gratia omnibus verè credentibus ad justitiam imputatur, ita ut propter hanc imputationem, ab omni injustitia absolvantur.

D

Ea

Ea justitia pro diversitate causarum diversa sortitur nomina. Ratione efficientis vocatur *Iustitia Dei Rom. 1, 17 : 3, 20, 22*, quia Deus ex mera gratia alienam nobis imputat justitiam; ratione causæ meritoria vocatur *Iustitia Christi*, quia Christus eam agendo & patientiando præstitit, unde justificati pacem habere dicuntur apud Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum *Rom. 5, 2*. ratione causæ instrumentalis ex parte nostra nominatur *Iustitia Fidei*, quia nostra fit per Fidem, absq; operibus *Rom. 4, 6*. ratione modi deniq; quo fit nostra, dicitur *Iustitia imputata*, quia credentibus peccatum, quod habent, non imputatur; & obedientia Christi, quam non habent, imputatur, & sic beati & justii coram Deo constituuntur, juxta illud *Psalm. 32, 1, 2*. Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata : beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, &c.

CXV.

Unde colligere possumus : justitiam Fidei quatuor complecti : gratiam Dei, ut causam efficientem : meritum Christi, ut causam meritoriam : Fidem, ut causam instrumentalem : imputationem ut modum applicationis : de quibus singulis si considerabimus, quomodo ad nostram coram Deo justificationem concurrant, totum hoc mysterium salutis nostræ expeditum erit.

CXVI.

Gratia Dei est efficiens justificationis nostræ causa, justificamur enim gratis gratia Dei *Rom. 4, 24*. quæ in scholis intrinseca impulsiva dicitur, & cum misericordia gratuita, bonitate & beneplacito Dei coincidit : extrinsecus enim Deum impulit, ut nostrum miseretur, desperata hominum miseria *Rom. 5, 8*. & hinc justitia nostra Dei justitia passim vocatur locis suprâ allegatis,

Tit. 3, 4.

Eph. 2, 4.

CXVII.

Tribuitur omnibus SS. Trinitatis personis : quia penes omnes est judicium ferre vitæ vel mortis, reum absolvere vel condemnare, quia omnes à peccatore læsæ sunt : ideo de Patre scribit D. Joh. *1. Joh. 3, 1*. videte qualem caritatem dedit nobis Pater : de Filio Div. Paulus *Gal. 2, v. 20*. Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me : de Spiritu sancto *1. Cor. 6, 11*. Justificati estis per nomen Dei nostri Jesu Christi, & per Spiritum Dei nostri.

**De Gratia
DEI.**

Ab

CXIX.

Ab Apostolo vocatur *χάρις*, in cuius descriptione quatuor istæ hæc concurrunt: 1. quod idem sit ac misericordia & *εὐδοκία* Dei *Eph. 1, 5: 2, 8.* 2. quod respectum habeat ad nostram miseriam & afflictionem, juxta illud *Eph. 2, 4.* cum mortui essemus in peccatis, vivificavit nos per Christum, cuius gratia salvati estis. 3. quod exhibeatur nobis indignis, cum pœnam potius quam gratiam promeriti essemus, ut ex eodem loco patet. 4. quod absq; ullo respectu operum aut virtutum humanarum conferatur, juxta luculentam antithesin Apostoli *Rom. 4, 6.* si ex gratia, non ex operibus, alias gratia non esset gratia. In scholis vocatur gratia gratum faciens,

CXIX.

Effectum ejus appellatur interdum *χάρισμα*, gratia gratis data, quæ nihil aliud est, quam donum Renovationis, quod nequaquam justum facit, sed jam justificatum sequitur: ideo Scriptura tam diligenter distinguit inter gratiam Dei, qua justificamur, & inter dona per gratiam: utrumque Christi donum est, sed illud causa, hoc effectum justificationis nostræ.

CXX.

Perperam igitur fit à Pontificijs, quod gratiam in articulo justificationis interpretantur dona & qualitates in nobis à Deo concessas absq; nostro debito, quibus justus coram Deo constituamur, ut habet *Bellarmin. lib. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 1.* Unde *Costerus* scribit in *Enchir.* gratiam inde dictam esse, tum quia gratis detur, tum quia gratos nos efficiat Deo.

CXXI.

Falsum hoc esse, hinc evincitur: quod gratia, quam fingunt Pontificij, significat opera in nobis: In articulo autem justificationis gratia & opera semper opponuntur *Rom. 3. 4. 6. 9. 11, capp. & ad Gal. 2, 21.* Si ex gratia, ergo non ex operibus: si per legem justificamini, excidistis ex gratia, gratis Christus mortuus est, &c: quin & salvari dicimur, non ex operibus quæ fecimus nos, sed ex Dei misericordia *Tit. 3.*

CXXII.

Hinc est, quod justificatio & Salus nostra in Scriptura adscribitur non tantum gratia Dei in Christo *Rom. 3, v. 24. Ephes. 2, vers 8.*

verum etiam bonitati ac *φιλαγωγία* Dei *Tit. 3, 4.* misericordiae Dei *Psal. 51, 1. Tit. 3, 5, 7.* dilectioni *loh. 3, 16. Eph. 2, 4 5.* quæ omnia facile exponant, quæ sit illa gratia Dei in hoc negotio: nusquam autem tribuitur qualitatibus, operibus, aut virtutibus in nobis.

CXXIII.

Quam ob causam non simpliciter gratiâ Dei justificari dicimur, sed *δωρεὰν τῆ ἀυτῆ χάριτι* grati ipsius gratia *Rom. 3, 24.* quia justitia nobis confertur absque ulla solutione precij nostri, **vmb sonst/** etiam sine justa causa in nobis, **ohn ursach/** absq; ullo nostro merito, **ohn alle verdienst:** hæc autem omnia vocula *δωρεὰν* in scriptura complectitur, quemadmodum Dn. Chemn. utiliter observavit in L. C.

CXXIV.

Quapropter non est confundenda causa cum suo effectu. Neq; enim negamus, Renovationem nostram esse donum Christi nos justificantis, & sæpè in scriptura cum justificatione conjungi: non tamen fundamentum aut causa justificationis nostræ, sed consequens & effectum est.

CXXV.

*De Merito,
Christi.*

Meritoria causa justitiæ nostræ est Christi obedientia, qua Patri pro nobis per omnia satisfecit, de qua supra. Et extra hanc Christi obedientiam gratia vel misericordia Dei nunquam quæri vel inveniri potest: testatur enim scriptura pleno ore, Deum dilexisse nos in dilecto *Eph. 1.* & hoc est nomen illud unicum, in quo salutem habemus *Act. 4, 12.* unde tritum illud: Extra Christum nulla est salus, nulla gratia, nulla justitia.

CXXVI.

Nam cum Deus æquè justus esset, ac misericors: noluit misereri generis humani, nisi de satisfactione justitiæ suæ constaret. In Christo igitur factum est admirandum justitiæ misericordiaeque divinæ temperamentum, qui plenariâ suâ satisfactione effecit, ut neq; infinita Dei justitia puniens peccata exhauriret inexhaustum misericordiae fontem: neque immensa misericordia & benignitas tolleretur justitiam justissimo judicio peccata punientem.

CXXVII.

Deus igitur in Christo damnavit peccatum, ut justitiæ suæ satisficeret, quæ peccata diligere non potest: imò si diligeret, non esset justitia, sed abominatio *Prov. 17, 15. Esa. 5, 23.* in Christo etiâ seu intuitu:

tuitu:

tuitu meriti Christi dilexit mundum, quia præstato pro nobis λύτρον
salva manet Dei justitia, & locum invenit misericordia.

CXXIX.

Hinc universa scriptura justitiam & salutem nostram unicè ad
Christum refert: nam & redemptio per sanguinem Christi facta *Col.*
1, 14. & remissio peccatorum *Rom. 3, 25.* & salus datur à Christo in
remissione peccatorum *Luc. 1, 77.* unde & Nostra justitia vocatur,
Ier. 23, 6. 1. Cor. 1, 30. & agnus ille Dei benedictus, qui tollit peccata
mundi *Iohan. 1.*

CXXIX.

Non autem ita Christus nostra est justitia, quasi nobis illud sit
promeritus, ut ab ipso adjuti satisfacere possimus mandatis Dei, &
vitam mereri æternam: hoc enim Pontificij justitiam Christi vocant,
sed nusquam reperitur in scripturâ, quæ potius in solidum λύτρον
illud pro peccatis præstandum operibus nostris derogat, & Christo
acceptum fert, *Rom. 3. & 4. Gal. 3. Eph. 2.* quin & opera sanctissimo-
rum etiam hominum imperfectionis arguit quæ perfectissimæ &
infiniæ Dei justitiæ nequaquam respondere possunt *Pf. 19: 32, 5, 6. & c.*

CXXX.

Meritum illud Christi nostrum fit per fidem; sine qua Christus
nobis otiosus est: ideo Fides instrumentalis causa justificationis no-
stræ dicitur ex parte nostra, apprehendens Christum & applicans
homini ejus meritum: unde non PROPTER fidem, sed PER fidem
justificari dicimur, juxta illud *Rom. 3, 22.* justitia Dei per fidem Jesu
Christi est in omnes & super omnes credentes.

*De instru-
mentali cau-
sa justifica-
tionis.*

CXXXI.

Dissentiunt etiam hac in parte à nostris Ecclesijs Pontificij. Nam
cum fidem ex negotio justificationis nostræ eliminare penitus non
possint, statuunt interim, fidem justificare non per modum instru-
menti, sed per modum dispositionis, ut *Bellar. loquitur lib. de justif.*
cap. 3.

CXXXII.

Hoc est, non existimant fidem esse mendicam illam manum,
quæ ex se nihil facit ad doni collationem, sed apprehendit tantum
aliunde profectum, ab alio promeritum, & ex gratia donatum: ve-
rùm præparationem saltem aliquã & dispositionē cordis ad cæteras
virtutes, spem, dilectionem & similes, quæ omnes simul sumtæ ju-
stificent: ideo fidem non ad instrumentales causas, sed ad forma-
lem vel materialem justificationis nostræ referunt.

D 3

Sed

CXXXII.

Sed cum agnoscant, Christum cum omni suo merito donatum esse mundo, necesse est, ut agnoscant etiam aliquam instrumentalem causam, quæ donum illud apprehendat, aliud autem præter fidem dare non possunt, unde supra ex *Bellarmino* audivimus, ipsum quoque *τὴν πίστιν* statuere formam fidei: aliud enim officium fides non habet in hoc negotio.

CXXXIV.

Nam quod de præparatione garriunt Pontificij, nihil hoc ad fidem justificantem. Non enim negamus præcedere aliqua justificationem nostram, præsertim in adultis, ut sunt, prædicatio & auditus verbi: verus animi dolor: notitia denique & assensus promissionum divinarum in intellectu: fiducia erga D E U M in voluntate: non autem præcedunt ex libertate arbitrij nostri, aut ut meritum justificationis, quod de duobus prioribus est manifestum; contritio autem præcedit, ut sensus morbi, aut dolor vulneris, qui non est meritum sanationis, sed impellit & urget ad quærendum medicum: Fides autem ut instrumentum & mendica manus apprehendens meritum obedientiæ Christi nobis acquisitum.

CXXXV.

Ideo *D. Augustinus* hæreticos eos vocat, qui docent homines vel operibus, vel fide sua aliquid mereri posse, h. e. ut Pontificij loquuntur, qui congruum esse judicant, Deum facientibus quod in se est, impertire gratiam: contra hos sic scribit *epist. 46.* Ne quisquam dicat, meritis operum suorum vel meritis operationum suarum, vel meritis fidei suæ sibi traditam Dei gratiam, & putetur verum esse, quod illi *Hæretici* dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari, quod omninò falsissimum.

CXXXVI.

Non autem justificat fides, quatenus vel actio vel opus est in nobis, sed potius, quatenus Christus à fide apprehenditur: unde est illud Apostoli ad *Phil. 3, 12.* apprehendi, inò magis apprehensus sum à Christo: non enim prout qualitas, aut in actu suo posita est, salutarem hunc sortitur effectum, sed ratione correlati sui. quemadmodum donum in se non apprehensioni indigentis, sed gratiæ donantis, suæq; præstantiæ acceptum fertur: ideo fides ipsa ob apprehensam Christi justitiam nobis imputari dicitur. *Rom. 4, 1.*

Hinc

CXXXVII.

Hinc fit, quod fides interdum instrumentalis, interdum formalis justificationis nostræ causa appellatur: illud, respectu suæ facultatis, quia est instrumentum apprehensivum justitiæ Christi: hoc respectu objecti, quia Christi justitia credenti fit propria.

CXXXIIX.

Ex his omnibus verus justificationis nostræ coram Deo modus elucescit. Nam Deus justus est, nos peccavimus: Christus autem nostra factus est justitia, quæ cum extra nos sit præstita, non nisi per imputationem nostra fieri potest: restat igitur, ut de imputatione justitiæ Christi pauca subjiciamus.

CXXXIX.

Imputationis vocabulum ferè Paulinum est, & hujus negotij de justificatione hominis peccatoris coram Deo proprium, quod nequaquam opponitur veritati, ut *Bellarminus* vult *lib. 2. de justif. cap. 9.* unde satis contempnim justitiam putativam nominat *lib. 2. de justific. cap. 3.* sed inhærentiæ subjectivæ.

De Imputatione.

CXL.

Nam imputatio non est *dōxnois* aliqua, aut figmentum, quo quis videtur aliquid habere, quod non habet: sed est realis applicatio meriti obedientiæq; Christi, quæ quidem subjectivè nobis non inhæret; per fidem tamen apprehensa nostra fit, h. e. nobis à Deo Patre imputatur.

CXLI.

Ubi sciendum est, vocabulum imputationis relativum esse: cujus fundamentum est, justitia Christi, quæ nobis imputatur: terminus, persona credens, cui fit imputatio ad justitiam: relatio est misericordia Dei imputans credenti justitiam sine operibus.

CXLII.

Quod si absurdum videtur Pontificijs, fundamentum imputationis esse extra nos in Christo: duo ipsis rezero: primum est duplicem agnoscere scripturam imputationem; unam quæ fundamentum habet in eo, cui imputatur, & hæc vocatur imputatio ex debito; alteram, quæ fundamentum habet in alio, non in eo cui imputatur, & hæc vocatur imputatio ex gratia, seu imputatio fidei: utriusque meminit D. Paulus *Rom. 4. 4.*

Cum

CXLIII.

Cum ergò scriptura pleno ore fateatur, justificationē nostram esse merè gratuitam, gratis nos justificari, gratis salvari, justificari nos fide, non ex operibus, &c. & tamen decies ad minimum repetat in *cap. 4. Rom.* nos per imputationem justificari: rectissimè inferimus, imputationem justitiæ non habere fundamentum intra, sed extra nos, quia est imputatio gratiæ.

CXLIV.

Deinde & hoc rehero Papicolis: imputationis vocem כְּשֵׁרִים vel ἀνομιῶν sæpè fundamentum ponere non in eo, cui fit imputatio, sed respectivè in cognitione, judicio & voluntate imputantis, ut quando filia Labani dicunt, se ut oves fuisse reputatas *Gen. 31.* & de Christianis fidelibus scribit Apostolus, quod ut oves reputatæ, vel quod ovium conditio ipsis imputata sit, imò Christus ipse inter sceleratos reputatus dicitur *Es. 53.* quam absurdum autem esset, in Christo hominis scelerati esse fundamentum?

CXLV.

Firmissimè igitur concludimus, justificationis nostræ fundamentum non esse qualitates in nobis, quam Pontificij infusam vocant justitiam, sed obedientiam Christi extra nos, per fidem nobis imputatam, unde & justitia fidei & justitia Christi, & justitia imputata rectissimè appellatur.

CXLVI.

Duo autem in se complectitur imputationis actus. 1. *σέσησιν. 2. Ἰσιν*: nam peccata, quæ in nobis sunt, non imputantur, & hæc vocatur remissio peccatorum: vicissim justitia Christi, quæ in nobis non est, nobis accepta fertur; & hæc vocatur Dei acceptatio; utrumque simul sumptum, dicitur Justificatio; nam quando peccatum, quod nostrum est, tegitur; & justitia quæ nostra non est, nobis donatur, tunc ex peccatoribus justii constituuntur.

CXLVII.

De priori parte David loquitur *Psal. 32, 2.* Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: beatus vir, cui nō imputavit Dominus peccatum: de posteriori Apostolus Paulus *Rom. 4, 5.* ei qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides ejus ad justitiam.

Sublato

CXLIX.

Sublato igitur peccato, succedit justitia; & vicissim, justitiâ Christi imputatâ, remissum est peccatum: quia peccatum & justitia sunt duo immediatè pugnantiâ, juxta illud *Psal. 45, 8.* diligis justitiâ, & odio habes iniquitatem: unde fit, quod justitia fidei interdum per remissionem peccatorum describitur, ut *Psal. 32.* interdum per imputationem justitiæ Christi, ut *Rom. 4. Phil. 3.*

CXLIX.

Cum ergò nostra coram Deo justitia non in infusione novarû qualitatum, sed in imputatione alieni meriti consistat, sequitur excludi ab actu justificationis nostræ omnia nostra opera, quia non merenti sed credenti fit imputatio, quemadmodum exemplo Abrahami declaratur. *Rom. 4, 5.*

CL.

Neque verò hîc admittimus inanem illam distinctiunculam, quam subinde crepant Pontificij, inter justificationem primam & secundam, quarum illam habitualem vocant, & ijs tribuunt, qui ex statu iræ in statum gratiæ primùm transferuntur, quam infantibus sufficere ajunt: hanc verò actualem nominant, & eam tribuunt adultis, quando majore justitia augentur: illam fieri scribunt in baptismo, & prima reconciliatione, hanc in quotidiana pœnitentia: In illa, scribit *Bellarmin.* non requiruntur opera perfectè justâ, in hac opera justâ maximè admiscuntur *lib. 2. de justif. cap. 15. & 18.*

CLI.

1. Primum enim talem habitualement justificationem, quæ fiat per infusionem habitus justitiæ, non agnoscit universa scriptura: Nam habitus ille, quem fingunt Pontificij, utiq; ad legem pertinet: Apostolus autem clarè dicit, nos justificari fide, sine operibus legis, imò si per legem justitia, gratis CHRISTUM esse mortuum *Rom. 3. Gal. 2, 16. 21.* Ergo prima illa justificatio Pontificijs non rectè describitur per habitualement justitiâ.

CLII.

2. Deinde discrimen hoc inter justificationem primam & secundam itidem ignorat scriptura, & non nisi unam semperque sibi constantem justificationem docet. De Abrahami etiam justificatione ita loquitur Apostolus, ut omnia simpliciter excludat opera *Rom. 4.* non autem scriptum est propter eum solum, quod hoc imputatum

E

fuerit

fuerit ei, sed propter hos etiam, quibus futurum est, ut imputerur,

Rom. 4, 23.

CLIII.

3. Imò totum salutis nostræ negotium adscribitur gratiæ Dei in Christo fide apprehensæ; operibus derogatur. Non operibus, sed ex gratia ad vitam sumus electi in Christo *Eph. 1.* secundum propositum & gratiam DEI, non ex operibus, sumus vocati, *2. Timoth. cap. 1.* per CHRISTUM habemus remissionem peccatorum, à quibus non poteramus per legem justificari; *Actor. 13.* justificamur gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in CHRISTO JESU *Rom. 3.* Salvamur etiam gratis absq; operibus *Psal. 32. 2. Tit. 3.* imò non tantum autor sed & consummator fidei & salutis nostræ CHRISTUS est, *Hebr. cap. 12.*

CLIV.

Sufficit ergo justitia Christi ad justificationem & salutem non tantum ijs, qui justificantur in baptismo, quam illi justificationem primam nominant; verum etiam ijs, qui in peccata relapsi pœnitentiam agunt, juxta illud *Augustini epist. 50. ad Bonifac.* quidquid ab ijs, qui post acceptum baptismum hic vivunt, infirmitate humana contrahitur, quarumcunq; culparum, propter ipsum lavacrum dimittitur.

CLV.

Hinc orta phrasis est planè Apostolica: *Sola fides justificat.* quia sola apprehendit Christi justitiam, & satisfactionem, absq; ullo operum adminiculo, juxta illud Pauli *Gal. 2, 16.* Non justificatur homo NISI per fidem, & *Rom. 3, 28.* simpliciter ab hoc fidei actu removet opera: arbitramur hominem justificari per fidem, SINE OPERIBVS legis.

CLVI.

Quæ verba LUTHERUS noster dexterrimè reddidit, *allein durch den Glauben / ohn des Gesetzes Werck*: quia hæc est ratio oppositorum, ut excluso uno alterum intelligatur SOLUM: quam interpretationis libertatem secuti sunt quoq; LXX, & vetus interpretatus latinus, etiam ijs in locis, in quibus non est tam clara antithesis, sed ex textu saltem constat, de una tantum re sermonem esse, ubi exclusivam addiderunt, licet in Hebræo non extet, ut *Gen. 3, 11. 2. Paralip. 20, 12.* qua de re vide ipsum LUTHERUM Tom 5. Jen. German. fol. 140.

Quod

CLVII.

Quod cum intelligerent sancti Patres, ne quidem ipsi abhornerunt à particula exclusiva: licet non essent nescij, eam quoad apices literarum in textu Paulino non contineri. Ita enim *Ambrosius sup. cap. 4. ad Rom.* Quomodo Judæi per opera legis justificari se putant justificatione Abrahamæ, cum videant, Abraham non ex operibus legis, sed **SOLA** fide justificari.

CLVIII.

Ita *Basiliius homil. de humil.* Hæc est perfecta & integra gloriatio in Deo, quando nec ob justitiam suam quis se jactat, sed novit quidem seipsum veræ justitiæ indignum, **SOLA** autem fide in Christum justificatum.

CLIX.

Ita *Hilarius in Matth. Cap. 8.* Movet scribas, remissum ab homine peccatum: hominem enim tantum in Jesu Christo intuebantur: & remissum ab eo, quod lex laxare non poterat: Fides enim **SOLA** justificat.

CLX.

Relinquimus igitur bonis operibus suum locum, licet in forum justificationis nostræ non intromittamus: Opera enim ad legem pertinent; fides ad Evangelium, cujus ea fructus sunt, & exercitia, quæ sua quoque apud Deum proposita habent præmia, non ratione meriti, sed ratione gratuiti promissi, quo Deus semetipsum nobis fecit debitorem.

CLXI.

Idem fatetur *Stapletonus in antidot. Evang. super Matth. cap. 5. pag. 45.* cujus sententiam hoc in genere satis dextram & ipsius & aliorum objectionibus de mercede & retributione bonorum operum, cujus interdum scriptura meminit, opponimus, Sic enim ille: *Est quidem promissio Dei gratuita, promissione autem semel facta, retributio non est gratuita, sed debita, non quia Deus nobis aliquid debet, sed quia ejus, quod gratuito promissit, debitor factus est, & seipsum negare non potest.* Sed hac de re alio tempore plura.


CLXII.

Hæc de justitia Fidei, ex sententia Scripturæ, dicta pro tempore sufficiant: quæ omnia in serijs pœnitentiæ exercitijs melius intelliguntur, quam in scholis disputantur, ibi enim anxia conscientia experitur,

peritur, quàm arenosum sit fundamentum fiducia propriorum ope-
rum, licet multa de ipsorum origine divinâ differantur: vicissim
autem sentit efficaciam consolationis, quando fideli pectore respi-
cit λύτρον à Christo pro peccatoribus præstitum: extra quod cum
nulla salus sit, anathema sit necesse est, qui vel neglecta Christi ju-
sticiâ, suam in iudicio Dei constituere audeat; vel perfectissimæ ejus
obedientiæ opellarum suarum affuit lacinias: quam impietatem
à nobis procul esse jubeat, nos autem in veritate sua conservet

S S. Trinitas, Pater, Filius & Spiritus sanctus, unus
Deus benedictus in secula,
A M E N.





CASA VOLUNTARIARUM
HONORIFICIA VITAE